BALDERSLEBEN
IN
NATALEM
CHRISTI

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 373 4°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 373 4°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 373 4°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 373 4°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 373 4°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 373 4°

53, – 35.

LN 373

M

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 373 4°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 373 4°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 373 4°

CARMEN.

DE NATALI I. CHRISTI SERVATORIS

NOSTRI, AD SERENISSIMVM ET POTENTISſimum Principem ac Dominum, Dominum CHRISTIANVM TERTIVM, Danorum, Noruegorum, Sclauorum & Gottorum Regem, Ducem Sleſuici & Holſatiæ etc. Dominum ſuum clementiß:

EXARATVM AB
ANTONIO BALDERSLEBIO SANGERHVSANO CHERVSCO.

Epigramma M: Henrici Rießeri Heylprunn:

Promißum multis Abramo ſemen ab annis
Christiferæ partu virginis æthereo.
Panditur exculto lector tibi candide verſu,
Ornatus geſtæ conuenit iſte rei.
Quæ longo reliqui pertractant ſyrmate vates,
Hic gyro nectit condita ſenſa breui.
Indiget externo pietas haud nuda colore,
Pagina nil fuci ſacra obolere poteſt.

HAFFNIAE ANNO 1557.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 373 4°

ESAIAS.

REGES ERVNT NVTRITORES
ECCLESIAE, ET REGINAE
NVTRICES.

PSALM: LXXII.

DEVS IVDICIVM TVVM REGI DA, ET IVSTI-
CIAM TVAM FILIO REGIS etc.



COR REGIS IN MANV
DOMINI.

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 373 4°

SERENISSIMO ET POTENTISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO CHRISTIANO TERTIO, Danorum, Noruegorum, Sclauorum & Gottorum Regi, Duci Slesuici, Holſatiæ, Stormariæ & Ditmerſiæ, Comiti in Oldenburg & Delmenhorſt, Domino ſuo clementiſsimo.

S. D.

EXimia quamuis virtus tua cognita laude
    Floret ad Eoas occiduasq; plagas.
Vel generis propter titulos & nomen auorum,
    Inuictæq; tuæ fortia facta manus.
Vel quòd tam prudens regni moderaris habenas
    Vt regio ſimilem non ſciat vlla tibi.
Plus tamen ardenter quòd amas ſuper omnia CHRITVM
    Inclyte Rex veræ nobilitatis habes.
Officioq; boni Regis quòd fungeris, & quòd
    De CHRISTI verè nomine nomen habes.
Quòdq; fauore tuo ſpretas complecteris artes
    Solus & Aonidum numina penè colis.
Hinc tibi plus multo ſurgit, Rex optime, laudis,
    Hinc extat famæ clarior aura tuæ.
Hinc & manſuros Muſæ meditantur honores
    Nomina donantes non moritura tibi.
Ergo, nec immeritò, quoq; nos tibi noſtra dicamus
    Carmina ſacrato concelebrata ſtylo.
Quæ licet & tali non ſint inſignia cultu
    Vt ſperem à tanto principe poſſe legi.
Dum tamen haud veterum mendacia ſubdola vatum,
    Nec Gnydiæ referunt tela facesq; Deæ,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 373 4°

Sed pia decantant ſacris de fontib: hauſta,
Nec quidquam inſulſæ futilitatis habent.
Hac ego re ſola, Rex clementiſſime, fretus
Quod non ſint credo diſplicitura tibi.
Namq; redemptoris peragunt præconia CHRISTI,
Vt ſit ab intacta Virgine natus homo.
Vtq; grauem ſontis caſum miſeratus Adami,
Placatum nobis reddidit inde patrem.
Non igitur tales reor auerſabere verſus
Qui ſuperi celebrant facta ſtupenda Dei.
Sed quoniam quoſuis noctesq; diesq; libellos
Voluis, de vera qui pietate docent.
Te quoq; ne pigeat noſtrum legiſſe Poema,
Hic quoq; quod forſan te iuuet eſſe poteſt.
Tradita quod tibi ſi mea ſenſero ſcripta probari,
Et tibi conatus complacuiſſe meos,
Ipſe tuas laudes humili non concitus Oeſtro
Perſequar, & ſummo principe digna canam.
Interea hæc placido rogo ſuſcipe carmina vultu,
Quæ titulis gaudent eſſe ſuperba tuis.
Sic tibi ſit fœlix & eat ſine nubibus annus,
Sic ſceptris veniant omnia fauſta tuis.

T. REGIAE MAIESTATIS SVBDITIS-
ſimus Antonius Baldersleben San-
gerbuſanus.

Care

CARMEN.

DE NATALI DOMINI ET SERuatoris noſtri Ieſu CHRISTI.

ECce iterum remeans fœlici Cijnthius ortu
	Eoo nobis protulit axe diem.
Quo puer ex caſtæ CHRISTVS fuit editus aluo
	Virginis, & ſumpto corpore factus homo.
Quisquis es hac qui te lætaris luce redemptum
	Supplice deuotas concipe mente preces.
Thuricremis ſurgat fumus ſollenniter aris,
	Templa pium reſonent relligioſa melos.
Ipſe ego tam ſacris adhibebo crepundia cunis,
	Et puerum quali carmine cunq; canam.
Friuola ſint procul hinc mendacis numina Phœbi,
	Segreget hinc fictos pagina noſtra Deos.
Nulla Thalia mihi veniat mihi nullus Apollo,
	Nulla prophanato carmine ſpurca Venus.
Nam nihil ingenij donant hæc monſtra Poëtis,
	In verſu poſthac non habitura locum.
Præſto ſit his aliud numen conatib: Huius
	Propoſiti ductor ſis bone CHRISTE mei.
Tu placidè quæſo noſtris nunc annue cæptis,
	Tu ſis in verſu verus Apollo mihi.
Te ſine nil ſapiat mea mens, nil lingua loquatur,
	Quidquid id eſt cedat laudib: omne tuis.
Sed tua quis celebret dignis cunabula verbis?
	Quis referat iuſto talia facta ſono?
Aurea ſanctorum friget facundia vatum,
	Hic ſtupet Angelici vox quoq; & ipſa chori.
Verum nec minimum bonitas tua ſpernit honorem,
	Vel quoq; & infantum vis puer ore cani.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 373 4°

Ergo age CHRISTE mihi ſterilem precor imbue venam,
Dirige tu calami debilioris iter.
Sit mihi per te fas grauiores viribus auſus
Tentanti, cunas carmine ferre tuas.
Te duce profectus ſpero: Non hic mihi laudem
Ambio, ſed dabitur gloria ſola tibi.

PAx erat, & totum ſedato Marte per orbem
Venerat optato ſydere grata quies.
Cum penes Auguſtum trifidi cuſtodia mundi
Staret, & Imperij ſumma caputq́; foret.
Nempè triumphatas tum prima exactio gentes
Soluere tributum Cæſaris ore iubet.
Omnes edicto parent, gens paret Iudæ
Biſſenas inter dinumerata tribus.
Ergo etiam ſenior Ioſephus Regibus ortus
Ieſſæis, Bethles tecta vetuſta petit.
Deferat vt quoq́; cum reliquis ſua ciuibus illic,
Et ſcribi in propria nomina gente ſinat.
Hunc vnà ſequitur cœleſti pondere Virgo,
Et non mortali ſemine fœta parens.
Tranſierant ſaltus Carmeli & Ciſonis vndas,
Qua gignit viridi Balſama colle Thabor.
Perq́; ſuos vidit veſtigia ſtringere campos
Humidulus lijmphis Hijerichuntis ager.
Hinc ventum ad Solijmas arces, vbi magna laboris
Atq́; viæ potior pars ſuperata fuit.
Illic parua quidem, ſed magnis debita fatis
Bethle vicino eſt facta propinqua ſolo.
Quam ſimul aſpexit, lætiſſima Virgo ſalutat,
Protinus hosq́; pio protulit ore ſonos.
Exoptata diu mihi votis optima Bethle
Salue naſcentis patria terra Dei.

Tela, o

Te tandem video, quam ſacri carmine vates
Ad cœlum ſummis laudib: vſq; vehunt.
O me fœlicem, me tenq; quaterq; be.tam
Luminib: cerno dum tua tecta meis.
Faſtidita licet ſis celſiſq; urbibus impar,
Non tuus idcirco nocte latebit honor.
In te nam (referunt ſic enthea corda Prophetæ)
Induet humanum corpus & oſſa Deus.
In te vitales CHRISTVS naſcetur in auras,
Hoſpita tu domini digna futura noui es.
Ergo etiam toto collectis orbe triumphis
Concedat palmam Roma ſuperba tibi.
Splendida concedant Solijmorum templa domuſq;
Aediculis Bethle culminibuſq; tuis.
Sic te nulla dies, ætas te nulla ſilebit,
Perpetuò partu clara ferere meo.
Dixit: & anguſtæ porrò ſucceditur vrbi,
Condere iam radios ſole parante ſuos.
Parua domus ſtabat ſtridentib: horrida culmis
Agricolæ, ſpreto conſpicienda loco.
Vimine contextus paries, cannaq; paluſtri
Muſcoſam poterat vix tenuiſſe caſam.
Imbribus & ventis hiſcentib: vndiq; rimis
Angulus (heu miſerum) peruius omnis erat.
Hos ſubeunt picea tetros fuligine poſtes
Hoſpitio hoſq; petunt deficiente Lares.
Ventoſis primum Ioſephus follib: ignes
Suſcitat, hic gelidi membra calore leuant.
Funguntur q; epulis ambo ſed paupere victu,
Poſt ſe ſtramineis compoſuere thoris.
Iamq; ferè medium peragebant ſydera curſum,
Verſaq; lenta pigri plauſtra Bootis erant.

Ipſa rotata polo Phœbe transcenderat axem,
    Et cœlo nitidis ſola rubebat equis.
Omnia perterras animalia ſomnus habebat,
    Atq; intempeſtæ tempora noctis erant.
Secura ſenior ſopitus mente iacebat
    Ioſephus rerum neſcius ante focum.
Virgo memor ſentit propè tempus adeſſe beatum,
    Quo pareret ſalua uirginitate Deum.
Ergo non dubiam caſto ſpem pectore verſans
    Plena fide ſacras fundit ab ore preces.
Tempus adeſt, inquit, quo ſum paritura tonantis
    Virgo Dei natum. ſentio tempus adeſt.
Per me, quæ cantant præſago numine vates
    Euentum video ſunt habitura ſuum.
Qui me ſumme parens ad talia fata vocaſti,
    O Deus ô famulæ dexter adeſto tuæ.
Sic ait: & ſubitò ſoluuntur viſcera partu,
    Et mox amotis nixibus edit onus.
Ipſa domus rutilat tum conſcia plaudit Olympi
    Et ſolitò fulgent clarius aſtra polo.
Abſtergit maculas diſpuncto Delia vultu,
    Vos quoq; Iordanis purius itis aquæ.
Sed genetrix nata geſtit virguncula prole
    Quam peperit nulli contemerata viro.
Et villi inuoluit ſacrum velamine fœtum,
    Atq; fouet tepido nudula membra ſinu.
Illaq; virgineis gaudet captare lacertis
    Diuinis figens baſia mille genis.
Aſpera quin etiam ſtipulis præſepia complet,
    Et locat huc ventris numen onuſq; ſui.
Ponè ſed aſſiſtunt Ioſephi vector aſellus,
    Suetus & agricola bos ſubijſſe iugum.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 373 4°

Fallor? an hi dominum noſcunt vagire iacentem
Atq; creatorem frigora ferre ſuum.
Et ſe ſucciduo propius quoq; poplite flectunt,
Halitibusq; iuuant algida membra ſuis.
Excuſſo interea ſomno, miraculs cernit
Ioſephus, ſpatio ſubſtitit atq; breui.
Admiratur opus tantum, miratur & ipſam,
Atq; ſus voluit plurima mente ſenex,
Computat articulis prædictaq; tempora vatum
Cunctaq; conſenſus vidit habere ſuos.
Tum plus acceßit, dixitq; precantia verba
Supplex infanti pectore & ore Deo.
Ah quoties tollit, tractatq; ſenilib: vlnis
Iactat & annoſa brachia parua manu.
Ah quoties cano tremulum ſe vertice curuat,
Oſcula quò faciat puſio CHRISTE tibi.
At quæ pompa fuit tantus qua claruit ortus?
Nate Deo quæ nam gloria lata tibi?
Nunquid ebur nitidum celſa tibi canduit aula,
Marmore vel Pario regia ſtructa fuit?
Nunquid Sarrano fulſiſti ſplendidus Oſtro
Aurea vel cunis fulcra ſtetêre tuis?
Non: Caſa ſed vilis lacero te perula tecto
Excepit putri fœtida tota ſimo.
Nec tepidi veris nec tempus contigit anni
Quo florum vario germine fragrat humus.
Sed rigidus, Borea gelidum ſpirante, December
Sæuijt & ſummo frigore triſtis Hijems.
Nec tibi perdicum pluma creſcente ſub alis
Sed dura ſtratus carice lectus erat.
Forſitan ipſa ſuos Virgo diſrupit amictus
Atq; obiter fecit ſtragula curta tibi.
In tali pompa Rex regum CHRISTE triumphas,
Quis te tam vilem credat habere caſam?

Sic homo ſponte tua vis naſci in rebus egenis,
Atq; vltrò noſtræ ſumere carnis onus.
Scilicet vt nobis aditus procliuior eſſet
Ad te: Maieſtas hic tua tecta fuit.
Vtq; redargueres ſuadentem turpia luxum
Pro nobis infans triſtia quæq; ſubis.
Nemo referre poteſt quæ tu miſeranda tuliſti,
Flebilior quauis ſors tua ſorte fuit.
Nec tamen omnino miracula nulla fuerunt
Prodita vel geneſis nuncia ſigna tuæ.
Tota coruſcabant multa Magalia luce
Flammeus inſolitis ignibus æther erat.
Cum ſubitò aligeræ iuuenum venere cateruæ
De cœlo cunis turba miniſtra tuis.
Et natalitium dura ad præſepia carmen
Cantarunt lætis vocibus vſq; tibi.
Vlteriora loquor: Pecoris tum fortè magiſtri
Seruabant clauſum nocte ſilente gregem.
His medium latè viſum diſcedere cœlum,
Spargere & ignitum deſuper axe iubar.
Attoniti nouitate pauent, tremor occupat artus,
Et color à vultu, corpore ſanguis abeſt.
Nec mora: Deſcendit cœli per inania lapſus
Angelus, hoſq; animo ſic iubet eſſe bono.
Soluite corda metu, conſternatumq; timorem
Tollite, nam lætus nuncia læta fero.
Nuncia nullius quæ poſſunt ore profari
Quæ neq; ſat quiſquam voluere mente queat.
Quem prouisi toties ſuſpirauere priores,
Quem ſe miſſurum dixerat ante Deus,
Humanæ venit clauſus compagine carnis,
Et iam iam caſta virgine natus adeſt.
Vt queat amiſſam miſeris reparare ſalutem,
Et faciat læſi quò cadat ira Dei.

Credite

Credite paſtores verbis modo credite verbis,
Hoc primum vobis fama reuelat opus.
Ite citi ac alacres properate ad moenia Bethles,
Hic puer hic vobis ite videndus erit.
Nec me ficta loqui: ſit certum teßera ſignum:
Paupere ſub tuguro paruulus ille iacet.
Fasciolis tecto præbent præſepia cunas,
In paleis brutum vagit & ante pecus.
Dixit: & innumeris pendentes nubibus altis,
Aligeri dulces concinuere modos.
Intonuit reſonis totus clamoribus æther,
Gloria ſit ſummo (vox erat vna) Deo.
Cunctaq; per terras tranquillæ plena quietis
Sint: placeant homini quæ placuere Deo.
Hæc volucres poſtquam cecinerunt carmina diui
Syderei repetunt lucida tecta poli.
Terror abit, rediere animi, curſuq; feruntur
Paſtores nati membra videre Dei.
Præcipitatur iter, veniunt, diuumq; puellum
Inueniunt vili cum genetrice thoro.
Proſtrati pronis in terram vultibus: orant,
Et celebrant linguis numina tanta ſuis.
Et ſe mirantes nequeunt explere videndo
Tam vegetum puero ſplendet in ore decus.
Depromuntq; ſinu melimella & lactea liba,
Et quas delicias fructifer hortus habet.
Tum grati plenis ſufflant pulmonibus vtres,
Murmurat atq; pium ruſtica canna melos.
Nec Iudæa tibi tantum nota illa fuere,
Sciuit & Eoæ ſubdita terra plagæ.
Scilicet orta nouo fulgebat ſtella nitore,
(Huius egens cœlum ſyderis ante fuit)
Quæ teſtabatur doctis cognoſcere curſus
Aſtrorum, natum te puer alme, Magis.

 Ergò

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 373 4°

Ergò vias ineunt Nabathæaq; regna relinquunt
  Iudææq; petunt ex oriente solum.
Indicijs ſtellæ pergunt Dauidis in vrbem
  Et nati inquirunt hoſpita tecta Dei.
Hac re comperta, veniunt ad mœnia Bethlee
  Et ſubeunt dictæ culmina parua caſæ.
Humanæq; vident dominumq; patremq; ſalutis
  Indigna in ſtipulis viuere ſorte Deum.
Credibile eſt ipſos lingua ſtomachante locutos
  Illius & grauiter condoluiße vices.
O Bethle nimis ô crudelis & improba Bethle
  Excipis an Regem ſic malè grata tuum?
Qui te Lethæo demerſam vindicat Orco,
  Vera tibi venit quo ueniente ſalus.
An tibi non viſus meliori dignus honore?
  O facti veniam non habitura tui.
Tum procumbentes venerati numina votis
  Cum lachrimis mixtas exhibuere preces.
Dona deinde ferunt: Cum Mijrrha diuitis auri
  Pondera, quæq; Arabes thurea grana legunt.
Hæc ita: Poſt moniti taciti ſub tempore ſomni
  Diuerſis repetunt patria regna vijs.
At quid Idumæo placuit res iſta Tyranno
  Anne ſui regni nomine triſtis erat?
Audijt vt natum Ießæo ſanguine Regem
  Iſacidum victor qui noua ſceptra ferat.
Quid nam? quid regni (ait) excutiemur habenis?
  Nec ſtabit capiti poſt Diadema meo?
Non ita: quin potius, mando, arripe tela ſatelles
  Plurimus atq; tuo concidat enſe puer.
Dede neci proles ferro graßante viriles,
  Quem volo de multis forſitan iſte cadet.
Fit paßim cædes: nec quod crudelius vnquam
  Committi Phœbus vidit ab axe nefas.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 373 4°

Heu ſcelus, innocuo ſparguntur ſanguine cunæ,
    Infantum roſeo terra cruore madet.
Maternis (dirum) pueri rapiuntur ab vlnis
    Atq; è nutricum cæde rubente ſinu.
Tum verò aſpiceres flentes ſua pignora matres,
    Inq; ſuas rigidis vnguib: ire genas.
Tum perturbatis contundere pectora palmis,
    Et miſeras ſciſſis exululare comis.
Omnia ſunt lachrimis ſunt omnia plena querelis,
    Et matrum planctus angulus omnis habet.
Quid furis Herodes quid nam temerarius audes?
    Num te cæde putas tollere poſſe Deum?
Num tibi ſuccedat, mundi vel regna moretur,
    Qui dat ſeruatis cœlica regna pijs?
Quantumcunq; voles ſæui: Nil proficis iſtis,
    Tutus ab inſidijs ſtat puer ille tuis.
Virginis intercà caſtas vox venit ad aures,
    Iuſſit & infanti conſuluiſſe fuga.
Ergo vias ineunt, ſæuas Herodis ob iras
    Et loca tuta petunt virgo ſenexq; comes.
Arua papyrifero tangunt circumflua Nilo,
    Hic ſobolem ſperant poſſe latere Dei.
Donec ab humana ſoluatur luce Tyrannus
    Et detur ad patrij tecta redire ſoli.

SAncte puer quam tu fatis vrgere ſiniſtris
    Quam capiti incumbunt multa pericla tuo.
Vt nos offenſo poſſis placare parenti,
    Atq; interdicto reſtituiſſe polo.
Nos tibi cauſſa ſumus naſci diuina propago,
    Tam miſeræ vitæ nos tibi cauſſa ſumus.
Nam niſi tu cœli veniſſes ſede relicta,
    Geſſiſſes noſtras nec bonus ipſe vices,
Aeternum Stygijs lamentaremur in vndis,
    Tartareiſq; foret pœna luenda vadis.

Sed per te nobis præcluſa eſt ianua Lethi,
    Inq; domos ſuperas rurſus aperta via.
Nec magis eſt nigrum ceu quondam Thita timendum,
    Quod nocet infernus nec magis hoſtis habet.
Sit tibi laus & honor ſit gloria ſumme redemptor
    Chriſte patris verbum, ſplendor, imago tui,
Ingenti noſtræ quòd motus amore ſalutis
    Ex illibata virgine natus homo es.
Quòdq; in te noſtros ſumpſiſti ſponte reatus,
    Rurſus & acceptos feceris eſſe Deo.
Fac quas debemus tibi nos perſoluere grates,
    Et meriti memores perpetuò eſſe tui.
Semper inoblita nos iſtaq; voluere mente
    Facta per æternos commemoranda dies.
Lapſib: & veniam noſtris concede: Fatemur
    Quôd ſumus in quoduis prompta caterua nefas.
Tu tamen indulge prauis placabilis auſis,
    Emanuel nobis & bonus eſſe velis.
Sit tua criminib: maior clementia noſtris,
    Et graue delicti gratia vincat onus.
Da poſthac vero firmos inſiſtere calli
    Vt ſit mandatis congrua vita tuis.
Diſcute torpenti pigrum de pectore frigus,
    Fac feruens cœli corda peruratat amor.
Et quoniam varijs Eccleſia quaſſa procellis
    Iratas fracto remige pulſat aquas.
Atq; intempeſtas velut interitura per vndas
    Iactatur ſæuo concutiente Noto.
Auxilio miſeræ tandem bone CHRISTE venito
    A te non alio vindice ſperat opem.
Tu placidum feſſæ portum largire carinæ,
    Exeat è tumido te duce ſalua freto.
Protege, conſerua: Da Reges pacis amantes
    In quorum poſſit tuta latere ſinu.

Miſe-

Inſere principibus veræ pietatis amorem,
Floreat exemplis ſubdita turba bonis.
Vt ſibi ſubiectos ceu mandas ritè gubernent,
Atq; nihil ducant relligione prius.
Comprime veſana ſtipatos fraude Tyrannos,
Heu quibus eſt nomen res odioſa tuum.
Quos ſtimulat noſtri ſitis inſaturata cruoris,
Et de Chriſtiadum ſanguine præda iuuat,
Et turbatoris Sathanæ cohibeto furores,
Notitiam extingui nec patiare tui.
Nec tibi debilitas noſtræ eſt incognita carnis
Sola quòd inſultus ſuſtinuiße nequit.
Ergo gregi infirmo promißas ſuffice vires
Vt rabidos contrà ſtet valeatq; lupos.
Tolle etiam trepidos bellorum CHRISTE *tumultus,*
Da nobis placidos & ſine ſtrage dies.
Dira procul ſæuæ fac ſint contagia peſtis,
Sit procul à nobis flebile Martis opus.
Proueniant fruges & fertilis ingruat annus
Multiplici ſegetes fœnore fundat ager.
Hoc nos per tua te cunabula CHRISTE *precamur*
Et per natalis myſtica facta tui.
Sic tua perpetuos bonitas celebretur in annos,
Nominis & vigeat gloria ſola tui.

FINIS.

Anton: Balder: Sanger: Cle

LAVS DEO.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 373 4°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 373 4°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 373 4°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 373 4°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 373 4°